

numquam fuit coronatus nec inunctus; ergo non fuit rex temporalis. Preterea: nullus in suo regno solvit tributa suis pedagogiis, sed Christus solvit tributum pedagogiis in regno Iudeorum constitutis, ut habetur Mathei xvii.³); ergo Christus non fuit imperator, precipue quia iussit Iudeis ut darent imperatori Tyberio tributa, sicut habetur Mathei xxii.⁴), quando dixit: 'Redite que sunt Cesaris Cesari.' Preterea: ad regem pertinet exercere iudicia et causas contentiosas audire; sed Christus adulteram lapidari noluit⁵) et illi, qui petebat a fratre suo partem hereditatis, se esse iudicem negavit, ut habetur Luce xii.⁶); ergo Christus non fuit iudex temporalis^d) nec imperator. Preterea: rex in suo regno non habet superiorem nec parem, qui ipsum possit iudicare precipue ad mortem; sed Christus in regno Iudeorum habuit Pillatum suum iudicem ipsum ad mortem iudicantem et Christus fuit confessus, quod super ipsum habebat potestatem Pyllatus crucifigendi, ut habetur Iohannis xviii.⁷); ergo Christus non fuit rex temporalis. In contrarium est quod ipse Christus dixit Mathei ultimo⁸): 'Data est michi omnis potestas in celo et in terra.' Glosa⁹): 'De assumpta loquitur humanitate'; qui omnia dicit nichil excipit.

cap. 61 De rationibus probantium^a) Christum fuisse imperatorem.

Ad istam questionem est dicendum, quod Christus secundum suam humanitatem, quia de divinitate non esset aliqua dubitatio, fuit verus totius mundi imperator habens dominium directum in omnibus regnis et civitatibus mundi ab ipso primo instanti sue conceptionis¹), quod multis intendo probare rationibus quarum prima est talis: ille²) est verus imperator mundi, cui subsunt omnia regna et civitates et provincie mundi, ut habetur in decretis^b) 63. di. *Adrianus*³), et cui subiecti sunt Iudei, ut C. de Iudeis. *Iudei*⁴); sed omnia ista conveniunt Christo homini ut probabo; ergo fuit imperator temporalis totius mundi. Minor probatur per dictum apostoli in epistola ad Hebreos 2.⁵), ubi loquens de Christo dicit: 'Minuisti eum' — scilicet Christum — 'tu deus pater paulo minus ab angelis, gloria et honore coronasti eum et constituisti eum super opera manuum tuarum: omnia subiecisti sub pedibus eius. In eo enim quod omnia ei subiecit, nichil dimisit insubiectum.' Ubi dicit glosa beati Ambrosii mediolanensis archiepiscopi⁶): 'Ecce Christi hominis mortalis et passibilis potestas ostenditur; sicut enim a dei opere nichil excipitur, ita nec a Christi potestate nichil eximitur.' Ecce habemus textum clarum et glosam beati Ambrosii planissimam. Secunda ratio est talis: ille est verus imperator totius universi, qui est dominus et princeps omnium regum mundi, ut ff. ad legem Rodiam. *Deprecatio*⁷); sed^c) istud convenit soli Christo ut probabo; ergo Christus in quantum homo fuit imperator mundi. Minor probatur per

d) *om. B*

³) Mt. 17, 23 ff. ⁴) Mt. 22, 21. ⁵) Vgl. Io. 8, 11. ⁶) Lc. 12, 13 f.
⁷) Io. 19, 11. ⁸) Mt. 28, 18. ⁹) *Biblia sacra cum Gl. ord.* (Ant-verpiae 1634) 5, 471.

cap. 61 a) De rationibus (rationum B) probantium] Rationes probantes W
 b) et (?) *add. BW* c) scilicet B

¹) Vgl. *Johannes XXII.*, Quia vir reprobis, *Bull. Francisc.* 5, 442.
²) ille — Iudei (vor Anm. 4) vgl. X. 1. 6. 34 Gl. ad v. In Germanos;
alle juristischen Zitate dieses Kapitels kommen in der Glosse vor.
³) D. 63 c. 22. ⁴) Cod. 1. 9. 8. ⁵) Heb. 2, 7—8. ⁶) Vgl. *Petrus Lombardus*, *Collectanea in epp. Pauli*, Migne PL 192, 417, und *Hrabanus Maurus*, *Enarr. in epp. Pauli*, Migne PL 112, 724. ⁷) Dig. 14. 2. 9.